

& insipiens planè habendus est: ut qui uno incommodo declinato, in multa se præcipitem agit: otio etenim se totum perdit. Nam primùm, animi vires nervosq; otio illidit: deinde corporis vires quæ laboris exercitatione conservantur, enervat: bonis deniq; omnibus inertia dissipatis & abliguritis, tandem fame & inædia perit.

V E R . 2. *Melior est, inquit, plena vola quietis, plenis pugnis molestiæ & afflictionis spiritus.*

Atq; ne sine ratione infantie videatur, quo suam socordiam palliet, melius esse obtendit paucis contentum esse, dummodo placidam & quietam vitam agat: (sic enim turpe otium honesto vocabulo vestit) quam in magna rerum affluentia, conjuncta cum molestia & animi cruciatu, versari.

V E R . 3. *Sed rursus ego vidi hoc esse vanitatem sub sole.*

Ad hæc cùm animum meum adjeci, compri hanc etiam sub sole quam maximam esse vanitatem.

V E R . 4. *Est unus quis cui deest secundus, cui tum filius tum frater deest: nec tamen est finis omni labori ejus, etiam oculus ejus non satiatur divitiis: ut dicat, Et cui ego labore, quod destituo animam meam bono? etiam hoc vanitas & occupatio mala est.*

Huic (in specie) adversus est ille, qui cùm unus